

16.

240974

12447

D. B. F. D. T. O. M.

De

COSMOGONIA OVIDIANA

COMMENTATIO PHILOSOPHICA,

Qvam

*Cum Consensu Ampl. Fac. Phil. in Regia
Academia Aboensi,*

PRÆSIDE

ANDREA PÆTZELI

Poët. Prof. Reg. & Ord.

*Publico honorum examini modeste
submittit*

HENRICUS LAUR. BRUNNERUS

Wiburgensis.

In Audit. Maximo ad diem VIII. Martii

An. MDCCXXXV.

Horis ante meridiem solitis.



ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe Reg. Acad. Typ.

VIRO Admodum Reverendo atque Praeclarissimo
Dn. ABRAHAMO POPPIO,
Ecclesiae, quae Deo in Joccas colligitur Pastori &
Praeposito meritissimo,
AVUNCULO HONORATISSIMO.

Perquam Reverendo
Dn. JOHANNI
Comministro Ecclesiarum
Wiburgi,
Praeceptoris quondam,
suevici

Juvenile hoc ingenii hebetioris specimen Vestris Nominiculum, quo me rerum nostrarum Moderator benignus Vocificia immortalis memoria retinet, injunxit. Vos enim erant in me ornando liberali disciplina partes, eas ad vos, Suscipite igitur studiorum meorum, quae Vestra benignitas talitas luce donandum voluit, immaturum quidem, ejus- bis gratiam, testari queat, equi bonique consulite. Ego,

NOMINUM



Cultor humillimus &

Henr. Laur.

VIRO plurimum Reverendo atque Clarissimo
Dn. JOHANNI STRAßMANN
Pastori in Käruntati vigilantissimo,
PARENTI OPTIMO,

& Eruditissimo VIRO
SCHVINDT,
Sveticæ & Fennicæ,
Laudatissimo,
nunc affini honoratissimo,
dissimo,

*bus ut consecrarem, exegit sanctioris illud necessitatis vin-
bis devinxit, nec minus pietas, quæ recepta a Vobis bene-
pti importuna morte parentis curam suscepistis, quæ illius
quanta essent, studio plus quam benigno pertinere voluistis,
aluit, tenuem hunc fructum, eumque, quem Vestra libe-
modi tamen, qui de animo promptissimo ad referendam Vo-
dum spiritus hos artus regit, permancho.*

VESTRORUM,


Filius obedientissimus

Brunnerus.

Monfieur.

LE droit d'amitié, foudain, m'invite à prendre
La plume, fans délais, je ne puis m'en deffendre;
Il me faut déclarer, la tendre affection,
Que je vous ai portée, en toute occafion.
Ce n'est pas fans raifon, que je vous trouve aimable,
Votre genre de vie, étant toujours loüable:
Vous favez, fort bien, l'art, de gagner tous les cœurs
Et de les retenir, par des grandes douceurs.
Sur tout, Vous n'avez trait, en votre beau vilage
Qui, d'un homme vertueux, ne foit la belle image;
En mainte occafion, j'en éprouvai l'effet;
Car vous avez été, toujours, affez difcret.
Quant à un bel eſprit, & parfaite ſageſſe,
On n'en peut avoir plus, dans la tendre jeunefſe,
C'eſt ce que montrera la diſſertation;
Qui offre, à tous les ſavans, votre érudition.
Maintes, & maintes gens; ſans honte, d'entreprendre,
De voler, comme oiſeaux, & ſans vouloir attendre,
La maturité, d'un eſprit, bien cultivé,
Prennent, trop tot, l'effort, faute d'être éprouvés.
Vous monterez, Ami, la Chaire Académique
Sans tremblement, de cœur, d'un courage héroïque,
Afin de ſoutenir, votre ſavant écrit,
Qui ſera la certaine épreuve de l'eſprit,
Vous eſtimant heureux, admirant l'avantage;
Dont toutes vos vertus ſont le vrai Apanage,
Ains vous avez trouvé, un précieux treſor
Beaucoup plus permanent que tout argent, & Or.
Je vous ſoubaite, donc, le laurier favorable,
Le quel couronnera, votre front honorable.
De biens, & de bonheur vous comble l'Eternel!
Que tous votre plaſir ſoit long, & perpetuel.

Charles Lagerborg.



SECTIO PRIMA.

- §. I. Expendit Veterum Philosophorum de mundi origine sententias.
- §. II. Eorundum opinionem de materia mundi.
- §. III. Modum, quo e materia emerfisse mundus putatur.

§. I.

JActata veterum disputationibus circa mundi originem controversia, in eo tandem omnis subsistere videtur, ut vel mundum ipsum, vel materiam saltem, ex qua deinde prodierit mundus, ab æterno fuisse obtrendere. Id luculenter satis patebit, cui ire per familias sectarum lubet. Prius enim se statuere ipse gloriatus fuit Aristoteles, opinione, ut videtur, ad id ductus, quam de motu fovebat, quod esse eum æternum putaret, qui adeo mo-
A ventem

ventem supponeret ac mobile existens; quanquam constet & ante eum fuisse plures, qui mundum ab æterno fuisse crediderint, Chaldaeos maxime & Pythagoram, & quos hic sequaces habuit, Ocellum Lucanum, Heraclitum, Xenophanem, Parmenidem. Nec dissensisse hac in re ab Aristotele videntur Stoici, cum & hi Deum fati quasi vinculis materiae alligarent; quanquam enim mundum duplicem fecerint, alterum æternum, qui sit ipse Deus, & corruptibilem alterum, tamen cum & hunc, ætatibus tanquam per circulum redeuntibus exoriri per vices & interire docerent, non immerito & eos eodem, quo Aristoteles, motus æterni fundamento nitentibus, mundum æternum perhibuisse putamus. Posterior vero, quæ de solius materiae æternitate increbuit opinio, quæ vulgatum fuit, Deum materiae jam existentem eam, quam nunc habet, dedisse formam, post antiquissimos in quibus his Orpheum, qui totum hoc universum ex Chao produxerunt, Platonem quoque auctorem agnoscit, utcumque eum mundi productionem ex nihilo in sectæ suæ gloriam docuisse Hierocles

cles apud Photium ostendere laboret; ipse de creationis dogmate ex scriptis Christianorum saniora edoctus. A Platone tandem cum digredimur ad Epicurum, hunc illi *ἐκείνου* hactenus invenimus, ut & mundo initium fecerit, & ei producendo materiam pariter præexistentem & ingenitam, h, e, æternam substraverit, sed quam non mole contiguam seu coherentem partibus, sed atomis minutissimis constantem, per magnum vero inane jam inde ab æterno tamdiu agitatum, donec in aspectabilem hunc mundum ex seipsa coaluerit. Discrepasse igitur sententiis antiquos hinc colligimus philosophos, non circa materiam; eam enim omnes, ut ipsum Deum, æternam statuebant, ut hic nec illius, nec illa hujus esset causa, cum impossibile putarent ex nihilo quicquam fieri, nedum ipsum mundum sine aliquo, quod ætonicæ ejus formæ subjiceretur, productum fuisse; solum autem circa originem mundi nexumque inter Deum & materiam necessarium aut liberum, quemlibet fere, quod sibi videbatur, pulchrum habuisse.

A, 2

S. II.

§. II.

Quod si jam eo agitanda sit cura, ut qualem materiam illam primam, vel quodnam illud rerum omnium principium esse voluerint, inquiramus, vix aliud quam figmentorum quoddam Chaos expediri animadvertemus, quod hujus sciendi avido reponi queat. Ante omnia patet non esse hic naturam nobis spectandam, uti jam creata est; sic enim primordia rerum corporearum sunt elementa, sive insensibilia illa & formæ simplicioris, ex quibus concrecere corpora sensibilia, & in quæ ultimo resolvi concipiuntur, sive quæ ex his diversa jam ratione dispositis constant: quo posteriori sensu, corporum principia, quatuor elementa agnovit Hippocrates, aquam Thales Milesius, aërem Diogenes, salem, sulphur & Mercurium præter vulgata elementa Chymicorum quilibet; Sed spectanda jam natura erit, ut creanda fuit, cum dispiciendum venit, qualis sit existimata materia antequam systematicam universi hujus compositionem ingrederetur: quam cum respicerent, qui extra revelationis prin-

S

principium uniuersum hoc considerarunt, minus mirandum est, quod sanum de hoc mundi creandi principio sensum vel plane non forerint, vel illud ad propriae imaginationis normam constituerint. Hinc mundum rem omnium visibilium maxime admirandam cum oculis lustrarent, sensibus inhaerentes, ex ordinatissima mutabilitate & mobilitate, ex pulcherrima specie, ex stupendis rerum in se mutuo agendi viribus, non tantum divini quid in tam affabre facto opificio agnoscebant, sed stupore sensuum animos occaecante, vel Deum in partes corporum naturalium vocabant, vel si maxime formas rerum, ordinem & pulchritudinem Deo deberi largirentur, materiam tamen, cum generationem & corruptionem individuorum perpetuo successionis tenore permanentes considerarent, ex nihilo fieri non potuisse credebant, adeoque eam, tanquam formarum locum & receptaculum ab aeterno extitisse suspicabantur, formas vero, velut in continuo fluxu positas, ei alias atque alias identidem imprimi ac induci. Nil igitur apud eos nisi materia

teris

teriam æternam audias, quam apud Albertum
 Magnum Alexander Epicureus statuit esse
 Deum, Plato Deo coæternam fecit, Aristoteles,
 cum materiam mundo priorem non faceret,
 præcise, non ut corpus, sed ut principium
 tantum, quod cum alio ad corporis composi-
 tionem concurrat, consideravit. Nec rectius
 quid aut sanius hac in re expectari sive à Stoi-
 cis potuit, sive à Democrito & Epicuro ho-
 rumque antesignano Leucippo. Priores enim,
 sicuti Deum mundi animam esse existimabant,
 ita duo ejus statuerunt principia, *Deum & ma-*
teriam, quorum utrumque mundum vocarunt,
 illum incorporeum, & intelligibilem, hunc
 corporeum, in quo tamen Deus esset, quem-
 que adeo junctim cum intelligibili Dei no-
 mine honestabant; Posteriores vero, omnium
 principia infinitate vel atomorum vel inanis
 contineri statuerunt; quam doctrinam cum E-
 picurus expoliret, Democrito, qui per infini-
 tum illud, ipsum Deum intellexisse putatur,
 profanior, mundum ex fortuitis atomorum in
 infinito inani concursibus ortum esse credidit.

§. III.

Sicuti autem de eo, quid in mundi materiam supponerent, laborabant, ita de modo, quo absolutissimæ hoc perfectionis opus ex deformitate materiæ emerferit, nihil nisi quod contemplationibus eorum consensaneum erat, decernere potuerunt. Aristoteles, cum mundum æternum crederet, ita eum effectum voluit, ut Deus ab æterno necessitate quadam fatali cum materia se conjunxerit, eam pariter per modum formæ assistentis moverit, virtuteque sua vivificandi res simul animatas inde eduxerit. Nec alia ratione Zenoni & Stoicis contigisse mundi productionem apparet, nisi quod Deum etiam, in formæ informantis vicem, mundo plane immergerent, tam arcte utrumque connectentes, ut licet mundum aliquando vel cataclysmo vel ecpyrosi interiturum statuerent, Deum tamen a mundo separari nunquam posse docerent, sed ab eo toties systema ejus redintegrari, quoties per vices ille dissolveretur. Platonem tandem hic differentem si audimus, placuisse ei accipimus, mundum

ex

8
extitisse ex libero Dei cum materia congressu,
quo tria colligitur sensisse, materiam, qualis
in corporea mundi massa ejusque partibus per-
severat, talem semper extitisse, Deum ad eam
libero motu se applicuisse, & tandem materi-
æ hujus tantum fabricasse, quantum resistendi
pervicacia ad recipiendum ideas fabricantis non
esset ineptum; quæ quidem doctrina, cum jus
suum libertati divinæ asserat, nexumque im-
portet inter Deum & materiam minus necessa-
rium, præferri ceterorum placitis debet. E con-
trario improbari prorsus meretur Epicurus, qui
Deum a formatione mundi prorsus removet, e-
umque fortuita ac rationem omnem excluden-
te materiæ necessitate ita contigisse credidit, ut
atomi, quæ Chaos constituerint, vario con-
cursu nexum homogeneis particulis congruum
tentarint, donec, post multas tandem moliti-
ones, e summa illa confusione, in hanc mun-
di formam & ordinem emerferint.

SECTIO SECUNDA.

§. I τὸ Chaüs significationem vindicat, ejusque per
separationem veram Metamorphosin.

- 9
- §. II. Mundi ex eo conflati aeternitatem ab Ovidio negari ostendit.
- §. III. Materiae contra aeternitatem eidem adstrui.
- §. IV. Ejus sententiam argumentis ex ratione perititis refellit.
- §. V. Partes materiae hujus indigestae minutissimas ei esse prima elementa asserit.
- §. VI. An ex illis mentem etiam humanam cum Epicuro eduxerit Ovidius, expendit.
- §. VII. Cum atomis Epicuri & Monadibus Recentissimorum convenire negat.
- §. VIII. Quid de auctore habeat, qui mundum in elementis constitutum, in meliorem transformavit, disserit.

§. I.

PRæmissis ita breviter, & pro ratione instituti, Philosophorum veterum de primarum rerum origine sententiis, propius ad Cosmogoniam Ovidii examinandam, quoad fieri per tenellas ingenii vires poterit, speciminis alicujus exhibendi gratia, utinam feliciter, accingimur; visuri, si quid cernere obtusior acies

B

potest

potest, quatenus cum Philosophorum placitis conformia sint, aut ab iis dissentiant, quæ de miraculosa mundi formatione auctor ille tradit. Et quidem prætermittendum non esse iudicamus, quod observarunt nonnulli, metamorphoseos nomen non jure adscriptum esse huic, quam consignavit, creationis historix, nisi voci *Chaos*, qua poëtis venit materia universitatis indigesta, *nihili* significatio tribuenda sit, ut crediderit poeta nihilum conversum in magnum hoc opificium fuisse: quod si sibi peritulum habuerit, id ei vitio verti debere, quod fabulis eam inseruerit, cum ingenua prorsus sit & divinæ veritatis. Ad quod dicimus, vocem quidem *Chaos* nihili significationem obtinere non posse, nec credibile esse, Ovidium aliud præter rem paganis scriptoribus ista voce notatam intellexisse, nimirum materiam, quæ ab æterno in partibus invicem permixtis extiterit, quæ postea secretæ, suum quælibet sibi locum peculiarem occupaverint; sed ideo negandum non esse, quin nihilo minus etiam illa insignis metamorphosis dicenda sit, ubi ex summa re-

rum

II

rum commiffione, fubita earundem feparatio
& mirabilis ordo emicuerint. Quod fi autem
Chaos ei *nihil* fuiffet, ne tum quidem in eo
indecore eum egiffe putamus, quod in perfe-
quenda fub fabularum invelucris hiftoriæ qua-
dam ab initio mundi ad fua tempora deducta
ferie, hanc quoque creationis hiftoriam, aliis
præmiferit, quum eo tutius id fe facturum cre-
diderit, quod fabularum nomine etiam veræ
narrationes comprehendantur.

§. II.

Miffis jam iftis, quod proximum eft, obser-
vamus Ovidium, cum informem mate-
riæ congeriem, non productam cum mundo,
fed præextitiffe, atque ut rerum procreationi
fubsterneretur, conveniffe crederet, in eo qui-
dem erraffe cum aliis, qui agnofcere non po-
tuerunt illam materiæ molem ortum habuiffe ex
nihilò; dum tamen Chaos ante cælum mare &
terras fuiffe aperte pronunciat, longe faniora,
quam Aristotelem, quem mundo negaffe initi-
um vidimus, tradidiffe. Quo enim minus huic
præjudicio fe implicuerit nofter, non temere fed

consilio videtur fecisse. Cum enim materiam hanc mundi ex plurimis a se invicem distinctis partibus compositam videret, partesque ejus omnes inter se combinari, eas vero simul sumtas identitate sui cum uno efficere totum; intelligere etiam infalibiliter potuit totum hoc compositum, cum essentia ejus consistat in modo, quo partes ejus invicem combinantur, aliquando existere coepisse, atque ubi partes ejus tali modo jungerentur, fuisse in tempore ortum. Non ergo audiendum putavit Aristotelem, utcunque urgeat mobile sempiternum agnoscendum esse, quod causæ primæ non convenire aiebat, ut oriatur; eo enim ipso dum mundum non genitum esse pronuntiavit ejuscemodi genitura, per quam mundus, esse inceperit, cum antea non esset, nolletque ullo pacto temporale ejus principium poni, mundum & æternum esse haud dubie voluit, & a se existentiam habere. Desideravit fortasse Ovidius apponendum huic assertioni fuisse aliquid, unde intelligeret, cur potius esset mundus a se ipso, quam non esset. Aut enim

enim dandam voluit rationem, cur mundus potius sit a se ipso, quam non sit, aut ejus rationem nullam sufficientem dari posse. Si ejus ratio nulla sufficiens dari posset, non esset, unde intelligi daretur, cur mundus potius a se esset, quam non esset, adeoque esse aliquid posset sine ratione sufficiente. Quod cum absurdum videret, maluisse videtur ab ista hypothese abstinere, quam eam, cui non subsit ratio, admittere. Deficiente igitur ratione sufficiente existentiae mundi a se ipso, necesse est, ut contingenter existat, & quod hinc sequitur, ut a causa quadam efficiente a se diversa productus sit: quæ cum non possit non ipso prior existere, rationem existentiae tum demum in causa habuisse necesse est, quando ens contingens existere cœpit; tantum abest, ut ab æternitate arcessenda sit.

§. III.

CÆterum, ut quæ mens Ovidii de mundi materia fuerit, videamus, illam ex opinione tantum non omnibus inolita aperit, cum eam *rudem indigestamque molem* dicit: quam *Chaos* quidem ex Hesiodi illo *ἦτορ μὲν πρῶτον ἦεν*

ἡ γὰρ χάρις ἡ θεοῦ nominat, non tamen ante Deos
 Deasque natam, ut ea in re sibi praecuntem,
 habuit Hesiodum, tradit, quasi aliquid ei, cum
 Deos Deasque in creationis negotium nusquam
 inducat, ex diviniore veritate de vero mundi
 auctore suboluerit. Praecipue tamen ad Epicu-
 rum in eo accedere videtur, quod pro initio
 rerum particulas materiae, quas voce *seminum*
 exprimit, agnoverit. Quatenus vero illae cum
 ejus atomis convenerint, id deinde excutiemus;
 hoc loco notamus multo saniora Ovidium de
 illis sensisse, quam Epicurum; non enim eas,
 ut ille, tradit in inani confluxisse inconsulta
 agitatione, donec per factam quandam circum-
 volutionem mutuo comprehensae, in mundi
 hanc compagem coierint; sed quod a Deo,
 quem in lucta ob naturae varietatem inter se
 pugnantium intercedentem inducit, dispositae &
 in mundi formam concinnatae fuerint; id quod
 de dicta mundi materia, hoc suo

Hanc Deus & melior litem natura diremit,
 profatur. Scilicet receptissimo illo apud anti-
 quos omnes, *ex nihilo nihil fit*, deceptus, in-
 tra

tra materiae metas haerens, putavit divinae providentiae materiam praesto esse oportuisse, quam disertis quidem verbis non ab aeterno, quod Epicurus de suis atomis censuit, extitisse dixit, sed quam tamen Deus ipse non fecerit, verum paratam invenerit. Sed sicuti, pulcherrimam hanc mundi fabricam atomorum Epicuri concursu fortuito constitutam esse, Ovidius non videtur concoquere potuisse, sic communi errore implicitus, cum mundum ex materia praesistente a Deo formatum esse finxit, aeternitatem ejus saltem implicite adstruxit.

§. IV.

Scilicet, cum mox expositurus esset, ut omnium rerum genera & species, distinctis a Deo & discussis elementis, existerent, certa quoque qualibet agendi potentia ornata fuissent, supposuit compositorum modo principium alterum, formam nempe, a Deo materiae fuisse superadditam; ipsam vero materiam, alterum principium, cum ex nihilo in rerum natura nihil gigni videret, debere aeternam esse, & proinde, cum omnem aevi durationem aequaret,

a se

a se ipsa extitisse. Hoc quidem quamquam in eo, qui revelationis luce caruit, excusari eo magis posset, quo difficilius erat acceptam antiquitus & innutritam omnibus opinionem improbare; nihilo tamen minus dubium non est, quin eo eniti ratio potuerit, ut cum materiam æternam statueret, admittenda simul videret, quæ nulla ratione conciliari possent; inprimis quod sic quoque independens dicenda fuisset materia, quæ uti non existentiam, ita nec conservationem debuerit alii. Jam cum materia, quam primum motam fuisse a Deo dicit, divisam scilicet in certa & cujusque partium indoli convenientia loca, deinde adhibitam ad rerum, quæ sunt in mundo, productionem, coacta fuerit cedere desideriis alius, tum ad mutationem situs, tum ad variam sui determinationem, quomodo existere a se ipsa dici potest, quæ ne potestatem quidem habuisse censetur existendi in quiete, suumque tuendi statum, qui ei proprius & naturalis est? Quocirca, cum nec existentia originem, nec sui conservandi facultatem, materiae, sed alii, Deo scilicet, deberi

beri videret, qui alias citra vim & confusio-
nem in rerum naturam, quæ pendere ex al-
terius nutu non teneretur, illatam, movere e-
am non potuisset, prona quoque consecutione
patere debuit, materiæ nec independentiam,
competere nec adeo æternitatem.

Mirum porro est, cum materia, quæ ut
putatur, in punctis physicis consistens, una
cum forma, corpora mundana, ipsumq; mun-
dum constituit, principium sit causale internum,
quomodo nihilo minus, vel a se ipsa sit, vel
causa hujus universi externa & efficiens, cum
causæ internæ, ut sibi invicem & externis con-
tradistinguantur, verius effectus sint, nec ul-
lum unquam verum præstare effectum possint;
tum vero, cum aliquid extra suum subiectum
efficiunt, abire demum in causas efficientes,
materia quidem *in instrumentalem*, forma in
principalem possint. * Præterea, cum materia
per formas ad certa corporum genera determi-
netur, manifeste apparet, principia hæc causalis
a mutuo se adjuvare, unde rursus luce evadit

C

cla-

* Rudiger in *Metaph. Philos. pragmatica cap. 5.*

clarius, utraq; , quoniam ope opus habent, limitata esse, adeoque creata. Nam quod limitata sit natura materiae, de eo tanto minus dubitari potest, quo magis vires singulares ei destinatas quilibet videt; neque enim extensionem vel soliditatem exuere, non spiritus munia obire materia potest, sed suis necesse est, ut affectionibus, quae salva ea removeri non possunt, circumscribatur; manet ergo essentiam eius maxime limitatam esse, i. e. aliquas ei facultates concessas esse, alias denegatas. Porro, quia limitata est, non est necessarium quid, sed contingens, multo minus, quod rursus patet, a se ipsa est, aut aeterna. Quam parum autem a se existere materia potest, quam finitis dimensionis limitibus coarctata est, tam ineptum esse res ipsa loquitur, quod eidem tribuit Epicurus, cum suis atomis vim sese agitandi propriam impertivit, eamque tantam, ut facto concursu Chaos quoddam constituerint, tandemque tentatis indefinenter ad res universi componendas molitionibus, in hanc mundi formam coierint.

S. V.

ITa vidimus Ovidium ab errore, Epicuro cum omnibus communi, in eo non fuisse immunem, quod materiam sive prima mundi elementa, putaverit aeterna ac ingenerabilia, cum tamen illa, ut jam evidum speramus, aequae ac mundus ipse per suam essentiam determinata ad existendum non sint, sed ab alio agente, cum ex se nihil essent, in existentiam & essentiam deducta. Quod autem compositissimam hanc mundi compagem ex minimis portionibus aggregatum quid esse innuerit, illas *semina rerum* appellando, id tale esse haud facile dixerimus, cui repugnari debeat, cum, quod in composito reperitur, resultare aliunde, quam ex partibus componentibus nequeat. Supponere primordia rerum possibilea etiam magni nominis Philosophi, ut ex iis deducerent, quae rebus explicandis essent accommodata; quidni & noster cum partes invicem junctas actu adesse videret, ex his compositam rerum hanc universitatem diceret? quid vetat, quo minus partes materiae ratione nobis sistamus tanquam

moleculas? quæ cum in se agunt & reagunt,
 mutua alteratione mixta efficiant, & hæc rur-
 sus cum novam mixtionem ingrediuntur, alio-
 rum corporum magis compositorum dici ele-
 menta possint. Hæc etiam, quæ vulgo habentur
 elementa, nil obstat, quo minus dicamus
 ex aliis jam componi, nec posse elementa *pri-
 ma & absolute talia* dici, sed *secundaria* tantum,
 quæ tamen elementa etiam dicenda sunt res-
 pectu magis compositorum, quæ ex iis tanquam
 partibus integranibus constant. Et illis certe,
 mundi scilicet partibus præcipuis, tanquam ma-
 teriæ rebus omnibus gignendis substernendæ,
 certas sedes & regiones paulo inferius assignat,
 terræ nimirum & aquæ locum mundi medium,
 quem sua gravitate occupaverint, igni vero &
 aëri, prout levitate alter alterum prævenerit,
 superiora. Sic videtur universe ea, quæ appa-
 rent, delineasse, simul ostensurus, veteres iam
 olim, cum viderent mundum constare quat-
 uor regionibus, idcirco illas quatuor esse ele-
 menta voluisse, quemadmodum iidem ex opi-
 nione eorum, astra quoque pro coeli animalibus
bus

bus habet, ne illis suprema regio minus ca-
reret quam superiores :

*Neu, inquit, regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent caeleste solum, formaq; Deorum :
Cesserunt nitidis habitanda piscibus unda :
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.*

perinde ut animalium alia essent terrea, alia
aquea, alia aëra, alia ignea. Itaque, uti O-
vidium dixerimus, non potuisse repugnare o-
pinioni de constitutione mundi ex quatuor ele-
mentis, sic cum ea *seminum* voce exprimit,
plura etiam esse elementa ac subtiliora, quanti-
feruntur, voluisse videtur. Nec sane, qui vi-
res corporum singulorum, praeterea abstrusas
illas & nobis incognitas qualitates, quæ in
propriis haud dubie vasis contineri debent, con-
siderant, persuaderi facile potest, ut rerum
prima flamina, aut non simpliciora esse cre-
dat, quam quæ oculis cerni possunt, aut non
plura, quam quæ vel vulgo numerantur ele-
menta, vel a chymicis celebrari in principiis
solent. †

† Conf. du Hamel. de conf. vet. & nova Philos. I.
3. c. 1. §. 8.

§. VI.

MAterix suum initium argumentis ex ratione ductis supra vindicavimus. An vero Ovidius, cum eam *semina rerum* appellat, ut Epicuri illa τὰ ἐξ ὧν αἱ συνισταὶσι παρῖνται vel παρσπευλαί, vel ἀτάκται vel ἀρχαὶ & πρῶτα σώματα expressisse videtur, ita illis ipsas Epicuri atomos adeo stricte referri velit, ut sint elementa ipsa & prima principia concretorum omnium, ipsius etiam mentis sive animæ, quam non minus mixtam compositamque ex diversis rebus ille esse voluit. Qui considerat Epicurum non ea modo, quæ vere corpora sunt, sed ipsam etiam animam humanam in rebus ex atomorum coagmentatione concretis haberi, & hinc ei, teste Laertio, σῶμα esse λεπτομερὲς quidem, quod eximia sit tenuitatis, sed mixtum tamen, cum sit πρῶτον πνεύματι θερμῶν, in quo, ut verba hæc ex Plutarcho interpretatur Gassendus, sit quidpiam ventosum & aëreum, tum igneum & quartum innominatum, quod ipsi est sentiendi vis, is facile largietur Ovidium longe his saniora sensisse. Certe nil simile hujus in eo observare licebit

cebit, quo Lucretii ore * Schola Epicurea personat.

nonne fatendum est
 Corporea natura animum constare animamque?
 Modeste tantum, quid sibi in re non satis explorata videatur, noster his aperit:

*Natus homo est. Sive hunc divino semine fecit
 Ille Opifex rerum, mundi melioris origo,
 Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
 Aethere cognati retinebat semina caeli.*

Dum hæret, utrum animæ hominis originem ex genere divino arcessat, an ex vi aliqua celesti, quam terra, in corpus humanum transformatam, in rudi illa massa contraxerat, nihil omnino apparet, quod Epicuro quidem placeat; quippe qui hominem tanto minus ex divino semine, ut loqui amat Ovidius, formatum dicere potuit, qui ne Deos quidam crederet, opinatus sine moderatore exorta esse omnia, aut si eos agnovisset, ex atomis tum ipsos, tum animos hominum, utrosque autem materiales & mortales existimasset. Non ergo semina illa

Lib. 3. v. 175.

ipsum Deum, a quo cum hominem nescire ad imaginem ejus conditum, partem quidem ejus formatam e terra dixit, sed mentem juxta altam cum ignoraret cui ferret acceptam, conjecit eam e principio vel divino, vel astrorum aliqua vi, quam terræ gleba conceperit, cum in *Chao* cœlestia terrenis miscerentur, ortam.

§. VII.

QValia igitur aut cujus naturæ hæc *rerum semina* in rudem illam molem congesta esse Ovidius voluerit, cum ipse nihil hujus explicuerit, dicere aut expedire pronum non est. Simplicia intellexisse haud dubie nil vetat pronunciare; An etiam solida & ideo indivisibilia, a se invicem sejuncta, seque ipsa motuantia cum Epicuro imaginabimur? Sed cum totam molem inertis ponderis speciem exhibuisse dicat, nec motum illis tribuisse patet, nec separationem, sed nec præterea quidquam unde colligi de reliquis eorum affectionibus queat. Non ergo dubium est, quin *semina rerum* Ovidio diversæ naturæ ab atomis Epicuri

D

hæc

habita fuerint. Nec vero pro indivisibilibus & absolute minimis, ut partibus destituta fuerint integrantibus, ea habuisse dicemus, cum comprehendi principia ejusmodi physica nullo modo possint. Licet enim principia quidem prima & simplicia admittenda videantur, ut sit aliquid quod per se respondeat creationi, cum partes continui majores, quæ ex illis constant, gigni magis quam creari appareant; ideo tamen credere non est promptum, ad creationem non nisi corpora penitus insectilia pertinere, & qualia non actuali, sed mentis solum resolutione, donec partem extra partem non amplius sitam esse intelligat, dividi possint. Cum igitur hæc *semina rerum* substantias esse extensas intellexerit adeoque materiatas, longe ea & ab eorum principiis abesse liquet, qui nostra ætate sub Monadum nomine ea omnium partium, omnis divisibilitatis, magnitudinis, figuræ expertia, adeoque immaterialia esse volunt; quæ præter proprium subsistendi modum, principium mutationum, seu vim activam in se habeant, naturæ adeo universalis, ut omnes, quæ in
rerum

rerum natura existunt, substantias includant, easque vi & facultate mundum representandi, sed sub diversis modis & gradibus instructas: ut cum ex monadibus deriventur omnia mundi corpora, tum animæ brutorum & hominum, ipse etiam intellectus divinus; prima monadum classis mundum obscure & sine ulla distinctione repræsentet, altera eundem clare quidem, sed indistincte percipiat, tertia omnia possibilea & actualia per partes & successive cognoscat, quarta eadem omnia uno & simultaneo actu perspicat. Perplexam hanc monadum hypothesin gravi jam censura perstrinxere viri eruditissimi; nec nostram juventutem difficultatibus ejus extricandis objicimus. In rem nostram dici sufficiat, tantum abesse, ut entia hujusmodi qualia monades supponuntur, omni extensione carentia, & quæ spiritibus identificantur, compositum constituent, ut si illud ingrediantur, acervum spirituum non materiam effectura sint. Præstare id putaremus, in minimis ejusmodi (si in ista quidem simplicitate unquam forte extiterint) omnipotentis Dei magnitudinem mi-

rari, quam ea curiosius investigando vim veritatibus fundamentalibus inferre; praesertim cum magis e re sua esse ducant naturae consulti, in pervestigandis elementis secundi potius, quam primi generis, quae in sensus non incurrunt, occupari. *

§. VIII.

Spectavimus materiam, quam mundo praebuit Ovidius elementarem. Jam, quae ipsi de Motore ejus fuerit sententia, paucis etiam non pigebit inquirere. Materiam cum omnes pigram agnoscant, in nulla re veteres aequae defudasse deprehendimus, quam in motu ejus pervestigando; hinc nihil frequentius in contemplationibus eorum naturalibus, quam animarum, mentis, *divinae* mentio occurrit. Noster non tritam ingressus viam, ex altiori disciplina Deum profitetur molem rerum naturam diversissimarum dissolvisse, motum ei praebendo, ut a se invicem secerni, & pro variis qualitatum gradibus, paulatim vel subsidere, vel in sedes sibi consentaneas eniti coeperit: ex qua
ita

* Conf. Verdries Phys. part. spec. cap. 2. §. 2.

ita in ordinem pulcherrimum demum disposita
 prodeuntem mundum, *meliozem* appellat, in-
 tento quasi in confusam illam rerum omnium,
 naturam digito, quæ mundi deterioris speciem
 illi referebat. Sed tamen in Motore designando
 mire eum vacillare videas; qui enim Deum nunc
mundi fabricatorem, nunc *originem mundi melio-*
ris celebrat, mox *Naturæ*, vel alii, *quisquis Deo-*
rum is fuerit, primordia rerum adscribit, quod
 qualecunque sit, suspensum tamen non debet
 detinere lectorem. Cum enim veteres ex Or-
 phei doctrina mundum universum duplicem sta-
 tuerent, *Νοητὴν & Αἰσθητὴν*, atque τὸν *Νοητὴν κόσμον*, ut
παρὰδειγμα τῆς Αἰσθητῆς considerarent: omnem ex illo
 fonte in τὸν *Αἰσθητὸν κόσμον*, motum, vitam & in uni-
 versum omnem hujus naturam derivantes; mi-
 rum non videbitur, Deum ipsi *Naturæ* nomi-
 ne appellari. Quod autem *Νοητὸς κόσμος* sit com-
 plexus idearum omnium Demiurgicarum a Men-
 te illa summa profectarum, & in τὰ *κοσμικὰ δι-*
στίκτα patere itidem ex Orpheo testantur
 Proclus & Athenagoras. Præterea, cum ex
 disciplina Orphica perspectum haberet Ovidius,
 illud

illud ipsum Ens ἄριστον, quod supra omne ens est, superabundante maiestatis fecunditate de se mentem creasse ἀριστόν, cui omnem mundi productionem & producti providentiam commisisset, ille vero de se produxisset, animam mundanam, quæ materię sese inseruerit, atque ita mundum produxerit: quæ doctrina Platonis ideis, quas ex intellectu summi opificis derivavit, compositoque ex iis mundo intelligibili & ideali, per omnia respondet; apparet Ovidium, cum inquit

*Sic ubi dispositam, quisquis fuit ille Deorum,
Congeriem secuit, sectamque in membra rededit.
nondum constituisse, num debeat creationem
attribuere Menti ἀριστόν, an Enti supremo, qui
huic mundum producendum constituit.*

SECTIO TERTIA.

- §. I. Recensionem Observationum Balii in Ovidii hypothesein de perturbationis statu ante formationem mundi instituit, item
- §. II. In hypothesein de elementis post evolutionem ἰσ. Chaüs in concordiam aduētis.

§. I.

§. I.

ITa levi brachio pertractatis, quæ in arduo hoc argumento exterius & quali per transennam se obtulerunt, ad ulteriorem illustrationem descriptionis hujus Ovidianæ, juvabit subnectere quæ in Dictionario Historico-Critico * notat Bælius antea non esse in hac descriptione philosophice à commentatoribus examinata. Tria vero in hypothesi de perturbationis statu ante mundi formationem perstringit, ex quibus fute tractatis pauca delibabimus. Primo ad locum hunc :

Unus erat toto naturæ vultus in orbe,

Quem dixere Chaos; rudis indigestaque moles;

Nec quicquam nisi pondus iners;

reprehendit, supponi naturam inde ab ætæno, antequam esset cœlum, terra & mare, fuisse totum quid homogenum, utut qualitates elementares tam alteratrices, quales calor, frigus, humiditas, siccitas, quam motrices, levitas nempe & gravitas in *Chao* vim suam maxime exeruerint. Per se enim patere, materiam hu-
ius

* voc. Ovidius.

jus naturæ omnes debere species heterogeneitas
 continere: nec posse calorem & frigus, hu-
 miditatem & siccitatem simul existere, nisi ha-
 rum qualitatum actio & reactio eas temperet,
 convertatque in alias qualitates, quæ formas
 corporum mixtorum faciunt. Alias, si dica-
 tur, qualitates alteratrices elementorum in eo-
 dem gradu temperari in omnibus moleculis ma-
 teriæ, ut fuerint ubique in eodem tepore, e-
 adem mollitie, eodem odore, sapore, non fo-
 re dicendum *Chaos*, sed opus exactissimum,
 & symmetria ac proportione admirandum; ut
 nec commutatum diceretur e statu confusionis
 vel belli, ut supponitur, sed e statu concinni-
 tatis, quæ paci esset consentanea. Alterum,
 quod notat, pertinet ad evolutionem *78 Chæis*;
 ad quam observat, nihil esse absurdius, quam
 sub tempore infinito admittere mixturam par-
 tium insensibilium quatuor elementorum. Quam
 primum enim supponas, in his partibus activi-
 tatem & resistantiam quatuor primarum quali-
 tatum, & præterea motum versus centrum in
 particulis terræ & aquæ, & motum versus cir-
 cum

cumferentiam in ignis & aëris particulis, simul & id agnoscendum, totum hoc debere niti ad segregationem, ita ut partes terræ massam formaverint unam, ignis particulæ deinde suam, aëris vero & aquæ partes pro ratione gravitatis & levitatis cujusque suam, nec longo egere tempore ad occupandum situm, quæ natura quatuor elementis dederat. Et hinc, quod tertium est in hac hypothese incommodum, cum vis quædam interior in *Chao* asserenda sit, quæ efficax fuerit ad segregandas, quibus implicabatur, partes, & ad tribuendum cuique elemento situm congruum, sine necessitate ad ministerium Dei in extricando *Chao* receptum fieri.

§. II.

Sed & illud adhuc est, quod in descriptione hac Ovidiana advertendum monet vir celeberrimus, quod elementa, quæ in *Chao* perpetuo inter se pugnaverint, post evolutionem ejus in concordiam adducta supponuntur. Id enim voluisse Ovidium non obscurum esse, cum

3.
cum auctoritate Dei, qui mundum formavit,
diremtam fuisse litem dicit. Illud vero quo
minus constare possit, ipsa quoque experientia
clarum evadere. Neque enim unquam cessare
pugnam inter qualitates illas elementares osten-
di posse, ne tum quidem cum temperamen-
tum componunt corporum mixtorum, ad quæ
constituenda non subeunt, nisi post pugnam,
in qua se mutuo attenuant imminuuntque: quæ
si interrupta aliquamdiu fuerit, id omnino in-
de esse, quod resistentia aliarum sit plane æ-
qualis aliarum activitati. Respirare illas aliquam-
diu; cum aliud non possunt, semper paratas
esse ad laceffendum & ad destruendum se mu-
tuo, simul ut vires id ipsarum permittunt: in
æquilibrio has non diu permanere; nam sem-
per alterutris subsidium adesse, oportereque, ut
altera pars perdat, quod altera lucratur. Bel-
lo hoc intestino exitium parari composito, ci-
tiusque adeo aut tardius id illi imminere. Vim
ipsam temporis consummentis omnia, quam ipse
Ovidius tam pulchre describit, * sola hac

* *Metam.* lib. 15. v. 234. seqq.

ni-

niti pugna. Quin eam esse naturæ conditionem,
 ut alia per aliorum corruptionem producantur
 & conserventur; adeo non asserendum fuisse,
 bellum elementorum deletum fuisse, cum mun-
 dus coepit & Chaos desit. Tantum enim ab-
 esse, ut cessatio confusionis hujus debuerit eo-
 rum dissidia finire, ut potius fuerit initium fu-
 turi inter ea certaminis, cum per illorum con-
 tentionem natura fiat foecunda, ut illorum con-
 cordia pigram eam reddit & sterilem. Præsti-
 tisse itaque dicere, situs & vires pugnantium,
 ita fuisse constitutas & libratas, ne perpetuæ
 eorum inimicitia destructionem operis efficerent,
 sed tantum vicissitudines, quæ suam haberent
 & gratiam & miram non minus pulchritudi-
 nem. Hæc, nisi fallimur, præcipua esse judi-
 camus, quæ in hac Cosmogonia auctor ille
 observat. Nos, quod instituti ratio dudum
 monuit, gradum hic sistendum putamus.

SOLI DEO GLORIA.



Til
Herr Auctoren och Respondenten
Sin goda Wän.

SM werldsens ursprung wet stelt Gud at tala bäste
Doch wil den lla werld den storas södsel leta:
Thes tanckar wandra fring mång 1000. mil i
hast /

Så lätt som ingen ting / men litet de doch wetta.

En står fast i den tro / at werlden ewig är.

En / at then Högsste som en siäl i henne hwilar:

Konst-wärcket blandar så med sielfwa Måstar'n / när

Han ämnet hop med Gud / som midlet i warn silar.

En tror / at Skapar'n sig en Mönster-werld stält för /

Hwar efter han sit wärck alt synligt sedan gjorde.

En at hon af sig stelf tilkommit / jäna tör /

Dch at des fina grand sig hop så häfta borde.

Ej en sig finner rått här i: all deras drife

Sig söfwer ljufligt i en hop helt fagra drömmar.

Det wittert thda lär war Auctor i sin skrift /

Dch der förnemligast hwarad Naso här wid dömmar.

Tack käckta VIBORGSBÖ / war Nasos gode wän /

At så Ehrs Lärdoms-lius til andras heder brinner:

Tack altid / Heder J bör ynnegt få igen /

At lockans gunst / som jeint ur wälgångsdjupet rinner.

Har lärde Naso än din Luta något liud /

Des strängar om de ej i mulen din å möra

Så sung BRUNNERI läf! och skicka Uran bud

At strax en Lager-Crantz uppå haus hieska söra

Dettrade sig wälment

N. P. Blidberg

W. G. 1b.

Grönberg